



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

32. Taciturnitas.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

II. *Obserua, quid scire magis, priusve oporteat: tempus enim breue est. S. Bern. ser. 36. in Cant.*

III. *Da mihi, Domine, sedium tuarum affiltricem sapientiam, ut sciam nimium sciendi ardorem retundere, & ignauiam eliminare.*

## PASSUS XXXII.

Taciturnitas seu Silentium.

### TEXTUS.

*Si quis autem putat se religiosum esse, non refrœnans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. S. Jacobus epist. c. 1. 26.*

### Cognitio.

**T**aciturnitas est virtus, immodicum loquendi appetitum refrœnans; ita ut non tantum ab illicitis, sed licitis etiam verbis abstineat. S. Albert. M.

### Actus.

1. Nihil illicitum, nihil minus decens, nihil

hil proximo nocivum , aut Deo invi-  
sum ore proferre.

2. Nihil inutile , otiosumve loqui.
3. Præscripta silentii tempora diligenter  
observare; & extra tempus, & locum,  
ac sine debitis circumstantiis , etiam  
de rebus bonis nolle loqui.
4. Nihil ad ostentationem , sed solum ad  
Dei gloriam, & nostram necessitatem,  
vel ad proximorum salutem dicere.
5. Etiam temporibus colloquutioni conces-  
sis, ad audiendum magis, quàm ad lo-  
quendum inclinare; juxta illud S. Ja-  
cobi c. 1. 19. *Sis autem omnis homo  
velox ad audiendum; tardus autem  
ad loquendum.*
6. Non respondere, priùsqvam alter ser-  
monem absolverit, & perfectè quis  
audiverit. *Priùsqvam audias, ne respon-  
deas verbum.* Eccli. 11. 8.
7. Inter ipsa colloquia brevem potiùs,  
quàm longum sermonem amare. *Noli  
verbosus esse in multitudine presbytero-  
rum.* Eccli. c. 7. 15.
8. Non contendere aut rixari cum altero;  
juxta monitum antiquum: *Contra ver-  
bosos, noli contendere verbis.*
9. Etiam acceptâ injuriâ silere, & nemini  
nisi DEO & Sanctis offensam queri.  
Juxta vetus effatum: *Lædi & silere  
summa est fortitudinis.* Con-

*Consideratio.*

Anime mi, si silentii necessitatem, utilitatem, jucunditatemque crebrius animo voveres, haud dubie illud studiosius observares: nam I. Necessitas incumbit; siquidem peccata plurima evitare cupias: *In multiloquio non deerit peccatum.* Proverb. c. 10. 19. II Utilitas inde elucet, quod quietem procuret, temporis jacturam arceat, devotionem augeat, virtutis studium promoveat, disciplinam domesticam conservet, atque ad artem bene loquendi addiscendam conducatur; cujus prima regula est, *Discere prius tacere, quam loqui.* S. Laur. Justin. III. Jucunditas patet: Silentium enim juvat ad orationem, meditationem, contemplationem, familiaritatem cum Deo, denique ad gustum & consolationem spiritualem; *Impossibile enim est, ut anima religiosa, qua non delectatur silentio, gustet res Dei; ut agebat S. Maria Magdalena de Pazzis c. 44. vitæ.* Quis hisce rite perpensis ori suo frenum non injiciat?

*Petitio.*

Domine JESU Christe, qui in passione tua, coram Pilato & Herode, ad stuporem, silentium observasti: doce me illud amare & observare, omnesque illicitos & otiosos sermones refecare.

*Aspi-*

*Aspirationes.*

I. O quis non libenter taceat ! Quis multum loqui non reformidet ; cum de omni verbo otioso , in die iudicii , reddenda sit ratio. Matth. c. 12. 36.

II. Heu ! quoties inter homines fui , minor homo redii : vellem me pluries tacuisse , & inter homines non fuisse. Thom. Kemp.

III. *Pone , Domine , custodiam ori meo , & ostium circumstantia labiis meis , ut non delinquam in lingua mea.* Ps. 140. 3.

P A S S U S   X X X I I I .

Modestia.

T E X T U S .

*Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ad Phil. c. 4. 4.

Cognitio.

**M**odestia est virtus , quæ externa hominis membra & actiones , juxta statûs cujusque decentiam moderatur.

Actus à S. Ignatio assignati :

- I. Caput huc , illuc leviter non moveatur ; sed cum gravitate , ubi opus erit : & si opus non sit , teneatur rectum , cum